

2951

C O D I C E S

2952

Hor imperii &c. inscripta est pro Rege, licet superius Sabbato facto pro Imperatore oratum fuerit.

DCCCXVII.

- ³³ Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 232. f. max. eleganter scriptus et coloribus exornatus continet *Missale Dioeceseos Brixinensis* in Tyroli, id, quod

colligitur cum ex praefixo *Calendario*, in quo Nonis Febr. dies festus *SS. Ingenuini et Albuini*, Prid. kal. Augusti *Dedicatio in Brixina*, atque Idib. Aug. dies festus *S. Cassiani Episcopi et Martyris* miniatis literis consignantur, tum ex *Missis propriis Sanctorum*, in quibus extat *Missae de SS. Ingenuino et Albuino fol. 157. cum sequentia*, cujus hoc est initium:

*Innouentur hac in die
Soni dulces symphonie
Ad festiua gaudia
Et in laudem confessorum
Vox erumpat leta quorum
Subest nunc memoria &c.*

Missae item de S. Cassiano fol. 178. pariter cum sequentia hujus principii:

*Gloriosa fulget dies exultet ecclesia
Hominibus pax et leticia
Immortali translatus emicat memoria
Cassianus martir nostra spes et gloria &c.*

Missae demum horum SS. simul fol. 217. cujus sequentia sic orditur:

*Exultet polus hijs pollens sideribus
Applaudat tellus cunctis cum fidelibus
Et tu brixina felix ex gratia multifaria &c.*

Ante canonem visitur Christi imago *tribus* tantum clavis cruci suffixi. In ipso canone fit oratio etiam *pro Rege*. Ad calcem Codicis adscripta est *Benedictio (vini) amore sancti Iohannis apostoli et ewangeliste.*

DCCCXVIII.

Codex membranaceus lat. Sec. ³⁹⁶ XV. Folior. 330. 4. per duas columnas exaratus, literis initiorum laborioso artificio coloratis, deauratisque, et eleganti picturarum varietate decorus, Liber *Missae*